

Q. E. F. Q. S.

התן דמים

Hoc est,

SPONSUM SANGUI-
NUM ZIPPORÆ,

Exod. iv. v. 25.

EXERCITIO ACADEMICO,
Consentientibus, quorum intererat in
Regia ad Auram Musarum sede,
doctis, evolutum,

PRÆSIDE

ABRAHAM ALANO,

Orient. & Græc. LL. Prof. Ord.

Publicæ disquisitioni modeste submittit

RICHARDUS A R E N M A N /
Wib.

Die 16 Maji Anni à restaurata salute
M DCC VIII. Loco horuq; sætis.

ABOÆ, EXC. JO. WAL.

*In Exod. 17. v. 25. 26. sub titulo de Spon-
sione Zipporæ, hanc Sponsionem diff. 17. 25. 26.
16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.*

In DEUM

SUMMÆ FI

PERILLUSTRI ac GENEROSSIMO

HEROI ac DOMINO

DN. BARONI

GEORGIO

LIBEKER,

GENERALI MAJORI

strenuissimo,

Ut &

Wiburgensis & adjacentium Pro-
vinciarum GUBERNATORI

Celsissimo, Æquif-
simo.

MÆCENATI

SALUTEM

& REGEM

DEI VIRIS

REVERENDISSIMO

In CHRISTO PATRI

ac DOMINO

DN. D AVIDI

L U N S /

SS. Theol. DOCTORI Consum-
matissimo,

Dieceleos Wiburg. EPISCOPO

Eminentissimo,

nec non

Gymnasii & Schol. EPHORO

Gravissimo.

BUS MAGNIS

ET ANNOS!



Adsum, GENEROSISSIME
BARO, & REVEREN-
DISSIME in CHRISTO
PATER, opusculum hocce

nullius pretii, ad pedes VESTROS hu-
milime depositurus, quamquam de
eventu anxius, & an id tollatur, in-
certus. Urgent tamen tot GENERO-
SITATIS TUÆ, & REVEREN-
DISSIMÆ TUÆ PATERNITATIS,
tamque innumera in me beneficia,
ut cum re non possim rependere,
verbis eadem extollere coner, licet
utrumque, si merita VESTRA æquare
vellem, (absit autem hæc à me arro-
gantia) non modo non præstari sed
ne quidem tentari queat. Suadet è
contrario munusculi vilitas conatu
abstinere, ne, dum de magnis parum
dico, magnitudini meritorum non
parum detraham. Nihilominus hæ-
sitanti animum addit, VESTRA, MÆ-
CENATES MAGNI, benignitas, spondetq̃
fore, ut quod offerenti mihi deest,
VESTRO impleatur Favore. Benignis
er-

ergo oculis respicite munus; quo vix
ullum vilius unquam VOBIS obtulit
quisquam, & in me exemplum sta-
tuite humanitatis VESTRÆ, qua etiam
indignos amplecti soletis. Vivite in-
terea Felices, ne Patriæ lumina,
Familiis Generosissimis ac Nobilif-
simis Fulcra, mihi que olim PATRONI,
desint.

Cum vobis eternumque vivebit

**GENEROSITATIS TUÆ
ET
REVERENDISSIMÆ TUÆ PA-
TERNITATIS**

Clientis humilimus

R. Aerman.

The Adle / Hög = och

Hr. Thomas Alphufius,

Widtförfarne Medicinæ Doctor och
Kongl. Landt = Medicus i Wiborg/
min Förnäme och Högfbewägne
Gynnare.

Hr. Johan Rohman /

Wählförfaren Musicant wid Kongl.
Capellet i Stockholm / min Högfbä-
rade Hr. Moor Broder.

Et myckna Goda / som iag
och Ehr Wälwilligheet / den
Försäkra / at med Gunst
Swad Ehr en wördsam

The Adle / Hög = och

Hörsamste
RICH.

Wälachtade Herrar/

Hr. Erich Åkerman/

Wählbetrodd Tull-Förwaltare wid
Stora Södd-Tullen i Wiborg/ min
Högtåhrade Käre Fader.

Hr. Matthias Wischman/

Wählachtad Kidp: och HandelsMan
i Wiborg / min Högtåhrade Hr.
Swäger.

alltjyd har äthnutit/
mig en nånsin trutit
af Ehr uptagas lår/
hand til Tacksamhet framgår.

Wälachtade Herrars

Tienare

Åkerman

VIRO-JUVENI

Ingenii felicitate & Eruditionis laude
commendabili

DN. RICHARDO

A R E R M A N /

De

ZIPPORA CIRCUMCIDENTE

disputanti.



umne, irata, virum, puerumve,
ex sanguine Sponsum
Dixerit? an nulla Zippora
bile tumens?

Quove secante usa est? vario sub iudice
lis est,

Quæque exercet adhuc, vis peragen-
da, viros,

Ni tua jam nobis quid veri Musa re-
velet,

Palmam quod dubiam non sinat esse
tuam.

*Amico veteri, utut festinus
& aliis districtus curis,
relinquere voleb:*

TORST; RUDEEN.



MEMBRUM I.^{um}

§. I.



I in ullum unquam hominum genus, conspicua fuerit divina benignitas, ea protecto in eam, quam sibi elegit, gentem, omnes suas exseruit vires, ita quidem, ut nihil omiserit, quæ ad ejus salutem & temporalem & æternam, ipsis applicandam, è re esse sibi visa sunt. Nam si à primis inde hujus Ecclesiæ temporibus ordiamur, non satis erat bonitati Divinæ Abrahamũ, primam hujus gentis originem, ab exteris gentibus sibi elegisse, ex infidelium consortio evocasse, effœtam ejus Senectam prole

A

prole

prole venusta exhilarâsse; non satis promississe, non satis jurâsse, quin insuper salutifero circumcisionis vulnere, eum cum omnibus posteris jam non segregatum modo sed & distinctum, in suum adoptaret fœdus, quo Sacramento ceu signo externo, fides promissionum Divinarum, in se irrevocabiliū. obsignata fuit. Israëlī fata si nobis sistamus, in hunc quantus fuerit Divinus favor, non facile erit dictu; nam cum præsentissimus ipsi, ab impio Fratrem immineret interitus, miris modis ereptum, ac servitute, quæ ipsi apud socerum dura satis fuit, liberatum, numerosissimæ prolis fecit Parentem, & quamquam hoc gaudium aliqua ratione videatur contaminatum dolore, quem ex falso credita morte filii sui conceperat Parens, is tamen luctus in bonum finem à Moderatore summo ita destinabatur, ut cum univēsus orbis fame vehementissima urgeretur, Jacobo tamen cum suis filiis comēatus largiter ex Ægypto à Josepho, cui tunc temporis rerum summi

con

concredita erat, suppeditaretur, ipse quoque Jacobus, filium, quem per tot annos defleverat, maximo cum gaudio reciperet. Tandem cum acerbiora imminerent Ecclesiæ DEI fata, jamque durissima servitute premerentur posterii Israël, Josephi beneficiis, quibus Ægyptum affecerat, oblivione jam oblitteraris: Fœderis denique, quod cum Patribus eorum pepegerat, memor justissimus DEUS, diutius ferre non potuit, horum Patrum nepotes, qui etiam illi ab ipso in fœdus recepti erant, durissimis apud infideles opprimi laboribus. Cum itaque vel Pharaonem ipsum eò inflectere potuisset, ut Populum suum emitteret, noluit tamen simplici modo eos liberare, quin manu potentissima per prodigia & miracula inaudita ipsos educeret, quin ipsum denique Pharaonem cum universis copiis in mare rubrum præcipitem daret. Mosen itaque è variis periculis, tam in aula Pharaonis quam extra eandem, liberatum, tandemq; in rubo ardenti vocatum, cum jam post

diversa colloquia instruxisset, ut populum ab Ægyptiorum jugo liberaturus, atque potentia Divinae insigne futurus instrumentum, iter in Ægyptum pararet, cum tamen quamdiu itineri se accingebat, à circumcidendo filio tum forte recens nato, detentus sit, non æquum duxit Summus rerum Arbiter, aliquem extra fœdus esse in ejus familia, qui rupti à Pharaone fœderis inter DEUM & Israëlitas vindex esset: Oportuit itaque hunc filium signum omissum fœderis prius recipere, quam Parens Moses, id, ad quod a Deo missus erat, effecisset, ne esset quicquam in universa sua familia, quod intimam cum DEO amicitiam posset impedire, idque in eodem itinere quod tum in Ægyptum habebat, factum, Moses ipse Spiritu DEI motus affirmat. Exodi IV: 24. 25. 26:

§. II.

Qui locus non indignus visus est, ut sub incudem dissertationis mitteretur, cum non modo prima fronte plurimis

mis involutus videatur difficultatibus,
 sed & amplam præbeat occasionem, de
 circumcissione antiquorum nec non re-
 centiorum Apellarum agendi : Cum ta-
 men hoc labore posteriori, etiam intra
 hujus Academiæ pomœria, defunctus sit
 nonnemo, de hac materia ex fundamen-
 to agere non est animus ; Id modo pro
 tempore & ingenii tenuitate conabimur
 efficere, ut ille, quem dixi, locus, è dif-
 ficultatibus quibus immerfus videtur,
 rursum emergat, quod commodissime
 effectum dabimus, primò pœnam Mosis
 per occursum Divinum inflictam, cum
 eandem per Filii circumcissionem re-
 mittentem proponendo : Si quæ circa
 hanc rem fuere diversa diversorum ju-
 dicia, ea, quantum in nobis est, expone-
 mus, illam inde eligentes sententiam,
 quæ tutissima, & cum Textus analogia
 maxime conveniens videatur. Interim
 cum non facilis sit hujus loci expositio,
 nisi confuse mixta propositione rituum
 ceremonialium circumcissionis antiquæ,
 illos ritus, sicubi desiderabuntur, ad-
 dere non pigebit.

§. III.

PRIUS vero, quam ipsi operi manus admovemus, ne methodum in his exercitiis receptam temerè relinquamus, non minus commoda quam utilis & necessaria erit expositio ὀνομασολογικὴ duarū vocum Hebraicarum, quæ in fronte hujus opusculi sese offerunt, ita ut earum originem variasq; indagemus significaciones. Prior earum est שָׂרָה, quæ vox originem debet voci Hebræis in Conjugatione *Hitpaël* solummodò usitata, שָׂרָה affinitatem iniit, junxit se affinitate, junctus est affinitate, quam notionem in plurimis S. S. locis subit, atq; construitur vel cum præpositione כּ ut Jos. 23: 12. vel cum accusativo per particulam אֶת ut Gen. 34: 9. vel cum Dativo, mediante litera præformativa לְ nota Dativi ut 2. Par. 18: 1. Ex hoc verbo deducitur nomen masculinum שָׂרָה, hoc loco st. const. atque communiter exponitur, (1) respectu loceri per generum ut Gen. 19: 12. ubi per angelos
 e So.

ē Sodoma cum Lotho jubentur exire
 חתן לך פה חתן si quis forte tibi gener
 & 1. Sam. 18: 18. ubi David se indignum
 Regio matrimonio prædicat his verbis:
 חתן למלך כִּי־אֶהְיֶה quod ero gener Re-
 gis. (2) Si conferatur cum sponsa spon-
 si notionem recipit, quo sensu per dul-
 cissimam similitudinem sæpius utitur
 Spiritus DEI, expressurus unionem my-
 sticam fidelium cum DEO, atque inde
 resultans gaudium. E. g. Elajæ 62. 5.
 חתן על כלה & gaudio sponsi cum
 sponsa sua gaudebit tecum Dominus
 DEUS tuus. Præcipuum vero hujus si-
 militudinis exemplum, atque dulcissi-
 mum, est Salomonis Canticum Canti-
 corum, quod à D. Hieronymo recte au-
 dit *epithalamium spiritualium nuptiarum*, uti-
 de D. Bernhardus Serm. 7. in Canticum
 cit. Glassio Philolog. Sacra lib. 5. Tract. 1.
 cap. 12. p. m. 366. in hæc erumpit: *Non
 sunt inventa æque dulcia nomina, quibus ver-
 bi & anima dulces ad invicem exprimerentur
 affectus, quemadmodum sponsus & sponsa.*
 Quin & ipsam hujus vocis naturam pe-
 nitius

nitius inspicientibus, occurrit in radice ejusmodi notio, qua חתן significat, quacunque affinitate cum aliquo junctum, ita ut חתן non modo dicatur respectu Parentum Soceri & Socrus, sed & respectu universæ familiæ quæ significatio nec spiritui DEI est insolens, ut expresse constat ex 2 Reg. 8. 27 ubi Ahasiæ impietatis causa adscribitur consanguinitati, qua Achabo junctus, his verbis: כִּי חָתָן בֵּית־אֲחָאב הוּא *quia ierat consanguinitate junctus domui Achab* ubi reliquæ duæ notiones vel sponsi vel generi commode locum habere nequeunt. Conf. Pocockii Portam Mosis notis miscellan. Cap. 4. p. m. 52. & 53.

§. IV.

Succedit altera vox דמים quæ hic pluralis in singulari est דם, radicem præter seipsum ignorans, & vel sanguinem significat, quam notionem in singulari absoluto frequentissime subit, cujus cum plurima possent adduci exempla, pauca in re cuius obvia sufficiant, ut Gen. 37. 23

Ruben cum fratribus impiis de cæde Josephi, quo potissimum modo interiret, consultans, atque ab ejusmodi impietate abhorrens, emortua jam in reliquis fratribus *סֵגְיָן*, in hæc verba erumpit: *אל תשפכו דם* *ne effundatis sanguinem.* De aqua in sanguinem versa ulus est hac voce spiritus DEI Exod. 7. 19. De sanguine pecorino plurima existant exempla in Levitico ut Lev. 3. 17. &c. Vel 2. cædem denotat, uti colligi potest ex Deut. 17. 8. ubi Dominus inter calus obscuros forentes, de quibus consulendi essent Sacerdotes & judices superiores, recenset, *tibi forte sit judicium ferendum in re occulta* *בין דם לדם* *inter cædem & cædem*, quæ Phrasis verbotim repetitur 2. Chronic. 19. 10. & Gen. 37: 26, Juda consilium de vendendo Josepho proponens, fratres à cæde ejus abstinere jubet his verbis: *quid lucri si occiderimus fratrem nostrum* *וּכְסִינֵנו אֶת־דָּמוֹ* & occultaverimus cædem ejus, nec non Ez. 35: 6. ubi vocabulum דם quater in hac significatione occurrit; Atque hæc geminas signifi-

cationes in singulari ut plurimum obtinet. In plurali v. si eveniat ipsam cum alia voce construi, *reatum sanguinis vel cadis* infert. E. G. אִישׁ דָּמִים 2 Sam: 16. 8. *homo sanguinum i. e. reus sanguinis* עוֹר דָּמִים Nah: 3. 1. & עוֹר הַדָּמִים Ez. 22. 2. C. 24. 6: 9. *civitas sanguinaria* בֵּית הַדָּמִים 2 Sam: 21: 1. *domus sanguinaria* atque ita in aliis. Harum significationum, quæ materiæ substratæ & huic loco videtur maxime conveniens, eam amplexabimur, quod tamen infra, ubi hanc phrasin seorsim exponendam suscipiemus, commodius fiet.

M E M B R U M I Ium.

§. I.

FECIMUS superius mentionem loci obvii Exodi 4: 24: 25: 26. Qui huic materiæ tractandæ nobis ansam præbuit, is itaque locus, ne desideretur, huc ex fontibus transferatur, qui ita habet: וַיְהִי בְּדֶרֶךְ בְּמִלֹּךְ וּפָגְשׁוּהוּ יְהוָה וַיִּבְקֶשׁ אֶת־עַרְלַת בְּנֵה וַתִּגַּע לְרַגְלָיו וַתֹּאמֶר כִּי תִתּוּ דָמִים Quæ verba LXX Inter-

terpretes Idiomate Græco ita expresse-
 rant: v. 24. Εγένεθ δὲ ἐν τῇ ὁδῷ, ἐν τῷ κατα-
 λύματι, συνήντησεν αὐτῷ ἄγγελος κυρίου, καὶ
 ἰζήτησ αὐτὸν ἀποκτείνει: V. 25. Καὶ λαβῶσα
 Σέωφάρα ψῆφον, περιέτεμε τὴν ακροβυσίαν
 τῆ υἱῆ αὐτῆς· καὶ προσέπεσεν πρὸς τὰς πόδας
 αὐτῆς, καὶ εἶπεν, ἔσθ τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τῆ
 παιδὸς μου. v. 26. καὶ ἀπῆλθεν ἀπὸ αὐτῆς.

Tremellius sensum egregie satis expres-
 sit hoc modo. V. 24. Evenit autem in illo
 itinere, in diversorio quodam, ut occurreret
 ipse Moysi JEHOVAH, velut querens morte
 afficere eum. V. 25. Sed accipiens Tzippora
 cultrum acutum, amputavit preputium filii
 sui, & admodum pedibus illius, nam, inquit
 illa, Sponsus sanguinum mihi es. 26. Sic desti-
 tit Jehovah ab illo. B. D. Lutherus, Ver-
 sione Germanica hæc ita reddidit: V. 24.
 Und als er unterwegs in der Herberge
 war/ kam ihm der HErr entgegen/ und
 wolt ihn tödten. 25. Da nam Zippo-
 ra einen stein/ und beschneit ihren Sohn
 die vorhaut/ und rühret ihm seine füße
 an/ und sprach: Du bist mir ein Blut-
 bräutigam. 25. Da lies ehr von ihm ab.

Cujus vestigia arcte pressit autor Ver-
 sionis Suecanæ: V. 24 Och wid han
 war på resone uti ett Hårbårge / mötte
 honom HErren / och wille dråpa honom.
 25. Då tog Zippora een steen / och skaar
 sinom Son Förhudena af / och tog på
 hans fötter / och sade: Tu äst mig en
 Blodbrudgumme. 26. Och så wände
 han igen af honom. Et Fenno, dum hæc
 verba ita reddit: V. 24. Ja cosca hän
 oli tiellä majasa / cohdais HErra hänen
 ja tahdoi tappa. 25. Niin Zippora otti
 kirven / ja ymberinsleikkais Poicans e-
 sinahan / ja rupeis hänen jalkoins / ja sa-
 noi: sinä olet minulle Werinlkä. 26. Niin
 luopui hän hänestä.

§. II.

Cum vero nimis abrupte, & *ως ἐν μι-*
γρόδω tantum à Spiritu DEI exhibea-
 tur hic actus, nonnihil lucis huic nostro
 loco accedet, si collatis prioribus hujus
 libri capitibus, cum Act. 7. ex iisdem
 totam hujus Mosis historiam à Nativita-
 te ad hunc actum, paucissimis repetamus.
 Incidit itaque Mosis nativitas referente
 Spi-

Spiritu DEI Exod. 1. & 2. in Pharaonem quendam (distinctus hic erat ab illo Pharaone, sub quo venditus erat Joseph, cui, si Laurenbergio credimus, nomen Amasis) quem Busyridem cognominant Chronologi, cujus imperium adeoque Mosis nativitas incidit in annum mundi 2773 vel juxta Calovium 2433 plus minus. Hic Pharaon, ut in aliis à Pharaone Amasi distinctus erat, ita eo etiam, quod cum hic Josephi progeniem, ob plurima ipsi atque universæ terræ Ægypti, à Josepho præstita beneficia, summis honoribus afficere, & quantum in se quidem fuit, conservare ac tutari conatus sit, ille vice versa, eorum augmentum atq; incrementum per benedictionem Divinam à Parentibus in posteros transeuntem, iniquo animo tulerit, adeo quidem, ut cum eos non modo jugo Imperii sui durissimo subdere, sed & subditos penitus evertere constituisset, non contentus gravissimo illos onerâsse labore, manui Divinæ, etiam sub durissima servitute ipsis benedicenti, sese opponere annisus, edi-

Et o jussit, ut omnes masculi Israëlita, et
 mox recens nati, vita, quam vix acce-
 perant, in fluvium præcipitati priva-
 rentur. Communis hæc fors omnibus,
 incidit etiam in Mosen, adeo ut cum
 eum Parentes, mater præcipuè, per con-
 genitam misericordiam, oculis Tyranni
 submovere, eumque per tres integros
 menses occultare studuerit, tandem cum
 latere amplius non potuisset, arcule
 arundineæ, quæ bitumine, ne statim
 demergeretur, oblita erat, impositum,
 Niloque commissum, expectavit Divi-
 num de ipso decretum: nec eam fefellit
 spes. DEUS enim, qui eum majoribus
 rebus reservatum voluit, filiam Pharao-
 nis in eundem locum, animo semet in
 fluvio abluendi, (quod piteis temporibus,
 ut ex Alexandri Magni exemplo
 quoque patet, in omnium oculis facere,
 nec Principibus erat indecorum) dedu-
 ctam, eo inflexit, ut cum puerulum in
 arcula flentem conspexisset, misericor-
 dia tacta super indigna cæde pulcerrimi
 infantis, eum in filium adoptatum, ma-

tri lactandum traderet, receptura eun-
 dem quamprimum ab lactatus esset, re-
 ceptumque in aula Regia, summa cura,
 omni scientia Ægyptiaca, eum imbuen-
 dum curaret, ita ordinante Summo Re-
 rum Moderatore, ut in aula sua eum e-
 ducaret Pharaon, per quem, non multo
 post, in Israëlitas exercitæ Tyrannidis
 justitiæ Divinæ meritas daret pœnas.
 Cumque jam per 40 annos in aula Re-
 gia degisset, tandem, studio flagrans vi-
 sendi Fratres suos, cum forte in Ægy-
 ptium quendam, injuria afficientem I-
 sraëlitam, incidisset, injuriam fratri il-
 latam vindicaturus, atque primum He-
 roici animi tyrocinium depositurus, Æ-
 gyptium neci datum, ne palam fieret cæ-
 des, arena obruit. Postero die ad fratres
 suos reversus offendit duos Israëlitas, li-
 tes inter se moventes, conversus iraq[ue]
 ad alterum eorum, admonuit eum, ne
 Fratrem opprimeret, qui hanc admoni-
 tionem indigne ferens, cædem pridie
 perpetratam Mosis objecit, quo facto per-
 territus Moles, cum factum suum non
 am-

amplius latere posse videret, ad effugi-
 endam Pharaonis sævitiam fugam eli-
 gendam tutissimum ratus, in terram Mi-
 dianiticam fuga pervenit, ibi sese ad Je-
 thronem quendam ejus Regionis Anti-
 stitem applicuit, cui septem erant filia-
 quarum unam, Zipporam nomine, uxo-
 rem duxit, ex qua geminos habuit fi-
 lios, unum ante colloquium cum DEO
 Gersonem nomine, alterum Eleazarem
 de cujus nativitate infra. Interea tem-
 poris dum apud socerum ovium Pa-
 stor comoraretur, Dominus oppressio-
 nis Israëlitarum misertus, eorum prece
 exaudivit, cœpitque de liberatione eo-
 rum agere, eligens sibi in ministrum
 quem jam dudum ei rei destinaverat
 Mosen, eumque in rubo ardenti vocans
 post varias instructiones iter in Ægypto
 parare jussit, quod & fecit, assumpta se-
 cum uxore cum filiis, *Cap. 4: 20.* quorum
 neutrum adhuc adolevisse arguit illud
 quod cum matre a suis ob meliorem ca-
 ram imponerentur.

§. III.

Hoc factio iter felici auspicio ingredi-
 tur, atque in hoc itinere in Diverfo-
 rio obviam habuit Dominum, omiffæ
 circumcifionis in filio, ipfum commi-
 natione mortis admonentem: Atque de
 hoc occurfu fuboritur nobis initio hæc
 quæftio, mediatene an imediatè Mofi
 occurrerit Jehovah? Non videtur operæ
 pretium effe, ut Rabbiorum quorundam
 nugas refellamus, fomniantium, Ange-
 lum quendam forma ferpentina indutū,
 Mofen ad locum circumcifionis de-
 glutiviffe, ex quo colligere potuerit Zip-
 pora, circumcifionem in filio omiffam
 hac pœna injungi, nam præterquam
 quod nunquam in tota Scriptura, Ange-
 lus bonus in hac forma legatur appa-
 ruiffe, neque de hoc figmento in textu
 quidquam habetur, unde & illud nihili
 facimus. Qui pro occurfu mediato pu-
 gnant, atque nomen מלאך quod hic in
 textu habetur, exponunt per Angelum,
 quod faciunt plerique Pontificiorum
 C cum

cum Grotio, cit. Clar. Calov. Bibl. Illustr. in h. l. sequuntur Paraphrasin Chaldaeam & versionem *תַּיִן* LXX, qui pro Jehova substituunt Angelum. Herman von der Hardt v. LL. Or. Prof. in Academia Julia, Tractatu cui Prodromo juris Canonici Hebræorum nomen indidit, occursum hunc mediatè per Aharonem factum autumat, & quidem ex mandato Divino Aharonem Mosis indicasse voluntatem Divinam de maturanda tam sua quam suorum circumcissione, vult: assumens in suæ sententiæ patrocinium v.27. hujus capituli, ubi eadem phrasim de Aharone adhibetur. Hisce tamen relictis immediatum occursum Divinum amplectimur; idque sequentibus motivationibus. I. In fonte expressè habetur nomen *אלהים* *אלהים*, quod nomen Essentiale DEI, de nulla creatura visibili vel invisibili exponi vel potest vel debet, in contrarium qui peccat, non potest non incurrere crimen læsæ Majestatis Divinæ, cujus super hac re ex-

pres-

pressa est sententia *Ex. 42:8.* Ego Jehovah, hoc est nomen meum, gloriam meam non dabo alii. 2. Quod ad versionem *LXX.* Interpretum, aut quamcunque aliam attinet, eæ, quatenus a textu originali recedunt, nihil probant. *Non enim integrum est interpreti loco Jehovah summi DEI substituere Angelum.* Calov. in *h. l.* 3. *Ex v. 26.* apparet illum qui pœnam Mosis infligebat, Dominium in vitam & mortem Mosis absolutum habuisse, quod nulli Angelo competit. Si enim *v. 24.* cum *26* conferamus, in priori (si angelo pœnæ executionem tribuamus) occurrit voluntas & mandatum DEI de occidendo Mose, quod mandatum si Angelo commissum fuisset, ipse omnino & exsequi debuisset, & profectò executus esset, cum per eum non stet mandatum Divinum pro suo beneplacito remittere: Jam vero, cum placatus DEUS per circumcisionem, cædem intentatam Mosis, remisit, oportuit illum tam Mosis occurrisse, quam ipsum morte minatum fuisse, qui vitam & dare & auferre

pro suo potest beneplacito, quod nemini præter summum DEUM competit.

4. Quantum ad occursum DEI per Aharonem, ruet illa sententia per se, si ipsum textum probè inspiciamus, atq; in eo attendamus in v. 24 advocem ויבקש, & *quæsit occidere eum*, quæ vox per particulam ו immediate jungitur præcedenti ויפגשוהו & *occurrit ei*, cum v. prius illud prædicatum Aharoni, ob rationem, quam de Angeli occursum adduximus, tribui nequit, nec hoc posterius de eo habebit locum. Versus 27. qui hanc sententiam videtur confirmare; adeo illi non favet, ut ex eo contrarium potius evinci posse videatur. In eo de occursum Aharonis hæc habentur verba: *Et dixit Dominus Aharoni, ito in occursum fratri tuo, & vult.* ויפגשוהו בהר אלהים & *occurrit ei in monte Domini*, quis hic non videt diversum esse subjectum, quod enim hoc loco prædicatur de Aharone, id v. 24. de Jehovah asseritur. Contra vero, ut id nobis concedetur, versu 27. immediatum occursum Aharonis describi, ita

ea-

eadem phrasis in v. 24. de Jehovah adhibita, immediatum innuet occursum. Hæc si diversos actus his versibus proponi velit, hujus sententiæ propugnator, dicta sunt. Sin ambos versus, 27 sc. & 24. de uno eodemque actu & occurssu Aharonis loqui autumat (nec enim id ex verbis ejus perspicuè satis patet) Tautologus imo & inordinatus esset textus, vel enim idem actus bis intra aliquot tantum periodos describeretur, vel executio mandati ad Aharonem facti, quæ juxta illum continetur v. 24. & seqq. præcederet in narratione ipsum mandatum, versu 27 demum expressum, quod scripturæ sacræ citra evidentem rationem injungere nimis esset profanum. Ut taceamus Aharonis mentionē in prioribus versibus factam, vel expressè vel per bonam consequentiam ad hunc vers. 27. respicere.

§. IV.

Evictum jam credimus Jehovaham immediatè Mosi occurrissè sequitur ergo, ut de pœna paucis agamus, ubi

C ;

pri-

primum disquiritur de subiecto, cui
 inflicta pœna fuit. Divus Augustinus &
 Aben Ezra cit. Terfero, h. l. puero ajunt
 hanc pœnam irrogatam, idque colli-
 gunt tum ex eo, quod versu sequenti
 ipse & circumcisionis fuerit subiectum,
 tum quod Gen. 17. de circumcidendo
 exstet Divina comminatio. Quod ta-
 men, utpote cum textus analogia pu-
 gnans, admittere non possumus; in ver-
 bis enim præcedentibus 1. non pueri sed
 Mosis fit mentio, adeoque affixa in &
 non possunt non respicere eam perso-
 nam, ad quam verba præcedentia spe-
 ctant. 2. Nisi Zipporam æque ac Mosen
 ordinariam fuisse causam ministerialem
 circa administrationem circumcisionis,
 admittere velimus, unde & indifferen-
 tiam qua mares & fœminas circa admi-
 nistrationem baptismi admittere coge-
 remur, non videmus, quæ causa Mo-
 sen à peragenda circumcisione detinu-
 erit, nisi quod adhuc, usque ad per-
 actam circumcisionem sub pœna à ma-

nu DEI sibi inflicta sudarit Moses. De loco Gen. 17. vide Calov. in illum locum & Pfeiff: dub: vexat. p. m. 117. & seqq.

§. V.

DE modo pœnæ varie conjiciunt, scriptura tacet. Ut reliquas taceam conjecturas, Nominatus modo cum laude Celeberr: Prof: von der Hardt/ firmissime conjicit, (adeo quidem, ut Thefin de dilatione termini circumcisionis ultra diem octavum, hac conjectura conetur probare) Mosen quoque ipsum nondum hætenus circumcisum, jam vero nuper hoc vulnus subeuntem, cum grave admodum in sene fuerit, in morbum ex eo gravem incidisse, atque hoc morbo subitaneo admonitum, de maturanda etiam filiorum circumcisione. Mosen enim puerum circumcisum fuisse verosimile non credit, obstare putat Pharaonis decretum de occidendis pueris, unde & alios Israëlitas, priusquam Pascha primum celebrarent, omnes circumcisos fuisse colligere vult ex lege da-

ta Exod. 12. 44. 48. Cum vero matri lactandus commissus est, circumcidi quidem potuisset, sed qua ratione mater ejus, præter mandatum filia Pharaonis cui puer reddendus erat, tantum ausa fuisset aggredi facinus, præsertim cum non ignoraret, sacratissimum hoc vulnus quam abominarentur Ægyptii. In aula Pharaonis impossibile fuisse credit eum circumcidi. Post fugam autem, prohibente locero & uxore id efficere non potuit, priusquam ex colloquiis cum DEO meliora edoctus, admonitus quoque per occursum fratris Aharonis, circumcisionem suam maturandam decrevisset, ex hoc vulnere vero, morbum concipi potuisse patet ex collatione exempli Sicheuitarum, Gen: 34.

§. VI.

Sed quæ conjectura ut conjectura, nisi vi in Textum illata sibi constare non potest. 1. Enim Molen puerum circumcilium non fuisse, cum non solum taceat Scriptura, sed etiam contrarium

asserat, coll. Jos. 5: 5. firmiter asseri nequit, ad minimum timor Pharaonis prohibere non potuit: Si enim ex Epistola ad Hebræos Cap. 11. 23. hunc timorem superaverit fides Parentum Mosis, adeo ut ejus mandatum nihili facientes, infantem per tres integros menses absconderint, ille timor nec eos deterrere potuit ab applicando fœdere circumcisionis puero Mosi, cujus tanto major erat necessitas, tantoque major cura esse potuit, quanto antecellunt cœlestia terrenis. Multò minus 2. Ex lege data Exodi 12. 44. 48. reliqui pueri Israëlitiæ ab hoc actu excludi possunt. Ea enim lege, nemo jubetur admitti ad celebrandum Pascha, nisi circumcissus, quod si omnes Judæi, fuerint huc usque præputiati, non potuerunt celebrare Pascha, quod historiæ adversum, nec ante celebratum Pascha potuerunt, ut vult ille, circumcidi, cum ad curandum vulnus, nulla ipsis â labore relinqueretur requies, aut si circumcisio ejusmodi generalis celebrata fuisset, aliquod profecto in textu ejus

exstaret indicium, quod concludimus
 ex circumcissione eorum qui in deserto
 nati, sub Josua hoc fœderis signum re-
 ceperunt, cujus integra legitur Historia
 Jos. 5. de natis vero in Ægypto additur
 expresse vers. 5. quod fuerint circumci-
 si scil. in Ægypto successive. 3: Si vel
 maximè concederemus, Molen puerum
 non fuisse circumcisum, nec in aula Pha-
 raonis potuisse circumcidi, post fugam
 tamen maturâsse circumcissionem erit
 verosimilius, quam neglexisse, nec nos
 movet, quod dicat ille, à Socero & uxo-
 re fuisse prohibitum, nam ut taceam,
 tantum virum, qui in omni vita DEO
 placuit, qui etiam extraordinarii im-
 pulsus divini indicium edidit planissimū
 in cæde Ægyptii, hunc ob amicitiam ho-
 minum nequaquam neglexisse fœdus di-
 vinum, nec à socero & uxore potuit
 prohiberi, utpote qui & ipsi circumci-
 sionem ab Abrahamo traditam recepe-
 rint, ut infra patebit. Quod si Moles
 nunc demum seipsum circumcidit, cui
 non etiam sine admonitione & commi-
 natio

tione Divina novisset ipse filios quoque suos in idem cum DEO fœdus recipiendos esse. Mosen itaq; antea circumcisum fuisse extra controversiam erit.

§. VII.

Missis itaque hisce accingemus nosmet, ad causam inflictæ pœnæ ulterius indagandam, quæ quamvis in ipso textu non sit expressa, haud obscure tamen ex consequentibus elici potest. Erat sc. illa omissa filii junioris circumcisio, si enim DEUS per administratam circumcisionem fuerit placatus, atque iram deposuerit, sequitur causam ad iram ipsum provocantem, fuisse circumcisionem omissam. Quod ut eo planius pateat, legem sc. de circumcisione Mosen transgressum fuisse, paucis de termino sive tempore circumcisionis agemus. Is vero terminus, quod ad infantes, ordinarie erat dies octavus, qui ex præscripto Divino sine peculiari causa præteriri non debuit, ita enim de hac re sonat divinum mandatum Gen: 17. 12.

Puer octo dierum בן־שמנת ימים circumcidetur vobis. Huic Thesi rursus se opponit cujus sæpius meminimus Professor Hardt/ asserendo, neque terminum illum antiquis præcise fuisse observatum, nec ex dicto loco Gen: 17: illum terminum probari posse. Exponens mandatum divinum Lev. 12: 3, ubi clare octavus à partu dies exprimitur, privative, *ita ut ante octavum diem circumcisio non sit exercenda, sed ad minimum octavus* (quo præcepto teneritati infantis DEUM prospexisse vult) *sit expectandus. Ut non priusquam octavo die liceat circumcidere, octavus autem inter licitos sit primus. Sæpius autem liceat siue nono siue decimo, ut sensus sit die octavo, i. e. ad minimum octavo.* Pro sua sententia confirmanda, examinat dictum Genel. 17: 12. atque ex illa Phrasi: *octo dies natus*, hunc extorquens sensum: *quod excludatur solummodo tempus antecedens, non definiatur certum tempus ex diebus octavum in sequentibus, imo etiam in alium mensem, vel annum quoque rejici terminum circum-*

cisionis, per hoc dictum licere, vult. Confirmat hanc expositionem 1. ab exemplo Isaaci, qui etiam dicitur circumciscus בן שמנת ימים h. e. juxta illius expositionem, non ante octavum diem. 2. Confert hanc phrasin cum illa, quæ de ætate Abrahami, cum natus esset Isaac, adhibetur, ubi Abrahamo, centum annos nato, natus dicitur filius, quo loco ait non definiri id tempus vel eum diem præcise, quo centesimum compleverat, id tantum dici, Abrahamum post centesimum annum, incertum quo anno, mense, vel die, filio beatum esse. 3. Probat ex ea, quam parag: præcedenti adduximus, conjectura. 4. Ex dilata, circumcissione Judæorum in deserto natorum, quam dilationem, neque Moyses, neque ipse DEUS usquam legitur reprehendisse.

§. VIII.

Quam quidem sententiam nostram facere eo minus possumus, quod Scripturæ Sacræ plane sit adversa, expresse

enim in illis scripturæ dictis, quæ circumcisionis institutionem & confirmationem continent, octavi diei fit mentio, imprimis is terminus clare & aperte exhibetur Lev. 12. 3. ubi hæc verba habentur : וּבְיוֹם הַשְּׁמִינִימֹל בֶּשֶׂר עֲרַלְתּוֹ
Et die octavo circumcidatur caro præputii ejus.
 Quod vero attinet dicti auctoris r. explanationem privativam, ea sibi constare nequit (α) quod in ejusmodi propositionibus imprimis Sacramentalibus præter necessitatem non fit alius sensus nisi proprius intrudendus, ut ex sequenti Regula constat: *Sensus literalis proprius ubique, imprimis ubi articulus aliquis Fidei ex professo traditur, arctè tenendus, nec deservendus unquam est, nisi in alium aliquem fidei articulum aut aliquod caritatis præceptum patam Et verè impingat, Et simul evidenter vel ex eodem, vel ex aliis, iisdemque verè parallelis locis, figuratus sermo detegatur ac probetur.* Ad cujus canonis tenorem si examinaverimus hæc dicta, dicendum (β) quod scriptura non sit scripturæ opponenda, sed per seipsam explicanda,

ita, ut ea, quæ obscura nonnihil videntur, loca, per alia ejusdem argumenti dicta clariora illustrentur; Ita hoc dictum Gen: 17. evadet clarius, collato altero dicto eidem verè parallelo, Lev. 12. 2. ubi octavus dies expresse injungitur. 2. Isaacii exemplum nos nihil movet, quæ dicitur circumcisis octo dies natus, cum is locus etiam, ut eandem phrasin continens, cum priori vocetur in dubium, adeoque nihil illustrare potest, nisi aliunde probetur, Isaacum octavo præcise die non fuisse circumcisum. Tum si vel maxime Isaacii circumcisio dilata fuisset, quod tamen minime concedendum, mansisset tamen inviolatus noster locus, non enim exemplis sed legibus vivendum, multo minus leges ex eo sunt explicandæ, prout hic vel ille easdem observaverit & sit transgressus. Abrahamum tamen, qui in omni vita mandatorum divinatorum fuit tenacissimus, ex præscripto legis filium octavo die circumcidisse, firmiter statuimus, & ex Gen: 21. 4. probamus firmissime. 3. Exemplum de ferie

rie

rie annorum Abrahami, cum natus esset
 Isaac, nihil facit ad rem. nam (a) hi
 loci non sunt sibi invicem vere paralleli,
 in priori enim, phrasis loquitur de die
 tempore breviori, & quod uno vocabu-
 lo determinari potest, in posteriori de
 anno, qui ut tempus longum, plura con-
 tinens tempora breviora, uno vocabulo
 determinari non potest, nisi præcise im-
 pletus sit. (β) In omnibus scripturæ lo-
 cis examinandis, scopus Spiritus Sancti
 videndus imprimis est: Jam si in hisce
 dictis ad scopum & intentionem Spiritus
 DEI attendamus, apparebit, posteriori
 loco de ætate Abrahami, id solum inten-
 dere spiritum DEI, ut ostendat, divinam
 omnipotentiam Abrahamo suam præst-
 itisse promissionem, de multiplicandis
 ejus semine, quamquam admodum in-
 habili, & ob decrepitam senectutem pla-
 ne inepto: In priori vero loco termi-
 nus circumcisionis præcise erat deter-
 minandus, adeoque in posteriori neces-
 saria non erat, termini quoad diem ve-
 mensis expositio, in priori terminu-
 fata

fatalis omnino erat exprimendus, ut ex eo appareret, quo tempore ad tenorem mandati Divini, ex quo mandato omnis huic actui autoritas, circumcisio exerceri debuit. 4. Quantum ad dilationem circumcisionis eorum, qui in deserto nati sunt, hanc moram in illis tulit DEUS, quod videret, in membris ex itinere lassis, & etiam de requie & curatione vulneris incertis, hoc fieri non posse, præfertim, cum nisi percurato vulnere, ob dolores iter perfici non potuit, adeoque hæc mora ut extraordinarium aliquod accidens nihil probat, cum de ordinario termino sermo est. Nostram propugnant sententiã, non modo plurima quæ de circumcisione exstant Scripturæ dicta, utpotè quæ clarissimè hunc terminum exprimunt, sed & exempla perplurima, ut præprimis Isaci, qui octavo die dicitur circumcisus, Gen. 21: 4. Johannis deinde Baptistæ, de quo asserit Spir. DEI, Luc. 1: 59. eum octavo post natiuitatem die, *εν τῇ ὀγδῶν ἡμέρᾳ* fuisse circumcisum, & qui sua circumcisione hoc sacramen-

E

tum

abrogavit, Christi, qui circumcifixus dicitur ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτώ, Luc. 2: 21. Quod præceptum de circumcissione administrandâ die octavo, adeo strictè observatum est, a Judæis antiquioribus, ut nec ob Sabbathum in octavum diem incidens differri potuerit, uti constat ex approbatione hujus rigoris, facta à Salvatore, Joh. 7: 22. Si quis causas in eum diem rejectæ circumcissionis velit indagare, adeat Celeberr: Quenstedii Antiq, Bibl. Num: V. de Sacramentis in genere & de Circumcissione in specie, p. m. 275, qui etiam casus nonnullos enumerat, quorum causa ultra diem octavum circumcissionem differre licuerit.

MEMBRUM IIIum.

§. I.

Fuit hætenus pœna Mofi per occursum Divinum inflicta cum sua causa: Jam videamus qua ratione eadem mitigata fuerit atq; planè averfa. quod per

per circumcissionem filii a Zippora peractam evenisse, Spiritus DEI clarissimè & evidentissimè ostendit. In quo actu exhibendo, ordinem quem ipsa verba continent retinentibus, primum se offert causa administrans, seu ministerialis, de hac tanquam extrâordinaria priusquam ulterius agamus, non absurdum erit, paucis de ordinario ministro, priscis Judæis tam Mosis tempore quam deinceps usitato, agere. Cum vero nec apertè in prima institutione, Gen: 17. nec in repetitione ejusdem Lev: 12. ulla mentio fiat causæ ministerialis, adhuc dum inter Doctores Ecclesiæ movetur de ordinario ministro controversia. Primam certè circumcissionem, in Abrahamo & ejus familia, eodem Abrahamo administrante peractam fuisse ad oculum patet ex ejusdem descriptione Gen: 17: 23. *ad finem.* Quem morem ut postea retinerent Patriarchæ ad Mosè, triplici jure adstringebantur. 1. *Lege nature;* si enim ex ea lege Patris erit in temporalibus filii

sui curam gerere, idque pro viribus agere, ut filii bonum promoveat, malum avertat, (cujus præcepti rigor apud Ethnicos quoque homines adeo observabatur, ut eundem expressurus Comicus, Mitionem de filio suo adoptitio Æschino in hæc verba erumpere fecit, Adelph. Act. i. Sc. i. *Quemquamne hominem in animum instituere aut parare, quod sit carius, quam ipse est sibi:*) adstringetur quoque eadem lege, quantum in se est salutem ejus æternam atque receptionem in fœdus cum DEO, quæ omnia vincit bona temporalia, promovere. 2. *Lege Divina positiva.* In prima enim institutione officium illud Patribus Familias injungitur his verbis **וְכַלְכַּלְתֶּם אֶת בְּשַׂרְכֶּם** *circumcidetis carnem præputii vestri:* ubi præceptum de circumcissione dirigitur in Abrahamum ejusque posteros: Abraham vero suo exemplo atque impletione hujus præcepti, ostendit sibi demandatum esse hoc officium, oportuit ergo omnes Abrahami posteros, atque hoc in negotio successores, idem officium ex imitatione
 Abra.

Abrahami & mandato Divino exsequi. In repetitione vero hujus præcepti Lev. 12. est *לְבָרְךָ* circumcidatur vobis omnis masculus, ubi indefinitè injungitur circumcisio omnibus Judæis maribus qua usum & receptionem non vero administrationem. 3. *Jure officii.* Prius enim quam certæ tribui assignatum fuit officium sacrum, Pater familias in sua quisq; familia & judicem agebat & Sacerdotem; ad sacerdotales vero functiones, ut omnes res sacras, ita sacratissimum hunc actum cum primis pertinuisse nemo facile negabit. Unde Parentibus ante Mosaicam legem & sacerdotium Leviticum hoc officium incubuisse tutò conjicimus. Quod & retinuerunt, qui hodiè ex hac gente supersunt, Patribus familias id dantes negotii, ut filium propriis manibus circumcidant, si vero Patri circumcidendi imperito tutò non committatur infans, aderit quidam ex *מְחַלְטֵי מַלְאָכִים* circumcisoribus, qui, quod hujus artis sint periti, in hujusmodi casu adhiberi solent, adstante tamen Patre, qui hunc suum agnoscat

vicarium, ut ex eorum traditionibus adducit Quenstedt.

§. II.

Postquam vero instituto sacro officio atque eodem tribui Leviticæ, ex reliquis omnibus electæ, demando, administratio sacrorum à Patribus Familias transiit ad Levitas, hunc etiam aeternum Leviticæ administrationis fuisse non est quod dubitemus. Ex historia enim sacra id probari non potest, quemquam, post institutum sacerdotium Leviticum, rebus sacris se immiscere ausum, quin si adeo fuerit præfractæ frontis, ut eorum officia occupaverit, graves *πλημμελοσύνης* pœnas dederit, ut ex Saulis exemplo absente Samuele immolantis evidentissimè patet. Quis ergo dubitet hoc quoque sacratissimum fœdus eorum administrationi commissum. Multò minus id ex Scriptura evincitur, hunc actum à Patribus Familias, post datam legem administratum fuisse, quin Zachariam Parentem Baptistæ, quamquam sacer-

dotem, huic officio admotum fuisse haud
 præcise innuit historiæ connexio. Solent
 qui adversam fovent sententiam pro pal-
 mario suo argumento ex mandato Do-
 mini ad Josuam, Jos. v. de circumciden-
 do Israëlè incircumciso, excludere ab
 hoc officio præstando Levitas, cujus
 quidem argumenti vanitas ut eo fa-
 cilis appareat, dictum exhibebimus
 explicabimusque, verba ita habent: כעת
 ההיא אמר יחזה אל-יהושע עשה לך חרות
 צרים ושוב מול את-בני-ישראל שנות
 ויעש-לו יהושע חרות צרים וימל את-
 בני ישראל אל- גבעת הערלות
 Trem: *Tempore illo dixit Jehova Josua para tibi
 gladios acutos (rectius versio Germana
 Steinerne Messer/ & LXX μαχαιρας
 ακυρινας εν ετρας ακρολύμας) Et secundo re-
 vetens circumcide filios Israël. Paravit itaq̃
 Josua sibi gladios acutos, quibus circumcidit
 filios Israël ad collem præputiorum: Inhæ-
 rent illi tam præcepto quam executioni
 ejusdem, atq̃ ex ipsis verbis argumen-
 tantur in hunc fere modum: Si Dominus
 Josua ipsi hanc circumcisionem injunxit, Josua*

quoque ipse id mandatum exsecutus legitur, sequitur exclusos ex hoc actu fuisse Levitas, at verum prius ergo & posterius. R. 1. Per canonem vulgarem: Unius positio non est alterius exclusio; si vel concedamus, Josuam quoque ipsum in casu extraordinario manus admovisse circumcissioni, quod tamen concedendum non est; ex eo Levitæ non excluduntur: imo si textum accuratius inspicimus, patebit, plures huic muneri admotos fuisse, jubetur enim plures parare cultros, plurimum nempe usui inservientes: Nec enim unus toti huic multitudinai simul circumcidendæ suffecisset, unde adhibiti sunt plures. Quod v. 2. attinet, tam mandatum quam ejusdem impletionem, dicimus verba hic non ut jacent accipienda esse, h. e. adscribenda hæc esse Josuæ, ut causæ quidem principali, non tamen ut causæ proximæ. Ita, si quoties in Exodo, ubi de Ædificatione Tabernaculi agitur, Dominus laborem maturandū Mofi injungit his verbis *לך עשה* fac tibi, & de Mose enunciatur *ויעש* & fecit
 omnia

omnia hæc à Mose imediatè facta quis diceret, totius Tabernaculi ædificationem, contra historiæ veritatē Mofi tribueret. Et ne longè exemplū petamus, expressè, in iis verbis de quibus nunc agimus habetur לָ עָשָׂה, & v. 2. וַעֲשֵׂה & fecit sibi cultros lapideos, quis tamen horum cultrorum fabricationem Josuæ ipsi tribuet, quandoquidem nusquam ejusmodi operi admotus legatur, unde rectè Trem: non fac, sed para. De hoc argumento vide si placet, pro & contra differentem Cl. Quenstedium Antiq. Bibl. Num. V. de Circumcisione § 7. pag. m, 264.

§. III.

Atque ut ordinariè solis masculis conveniebat circumcidere, ita in casu summæ necessitatis, nullo alioquin masculino circumcidendi perito præsentè, proximæ erant matres, quod si ex nullo alio, certè ex hoc nostro loco est evidens. Hic enim cū adhuc sua pœna vexaretur Moses, adeo ut officium quod ipsi incumberebat, non potuerit peragere, idem

officium maritum liberatura arripuit mater. Quod si vero cuiquam ex eo oriatur dubium, quod Zippora nunquam circumcidere noverit, qui error ex communi sententia, & falsa præconcepta opinione oritur, Zipporam sc. veri DEI ignaram, & extra fœdus cum DEO fuisse, quæ falsa opinio ex eo confirmari videtur, quod Zipporæ verba post peractam circumcisionem, ab animo irato, atque ab hoc actu abhorrente videantur proficisci, nos ut hunc errorem semoveamus dabimus operam, ostensuri, in paterna Zipporæ domo, ut communiter apud Midianitas, ab Abrahamo traditam & huc usque retentam & observatam fuisse circumcisionem. Idque duobus præcipue moti argumentis. 1. Cap. 17. 12. Genesios, quod primam continet institutionem, hæc habentur verba: Natus autem dies octo vobis circumcidatur omnis mas per ætates vestras, *natus domi & emtus pecunia de quibuscunque alienigenis, qui non ex semine tuo erit.* Ex quibus verbis patet, neminem ex familia
 Abra

Abrahami atque omnibus ejus posteris ex hoc fœdere fuisse excludendum, quod adeo latè patebat, ut etiam servos atque vernas extra Abrahami profapiam ambitu suo complecteretur. Jam vero si ex Cap. 25 Genes. inspiciamus posteros Abrahami ex Kethura, quorum circumcissionem neglexisse nequaquam credibile est, in eorum numero est, qui Medianitis nomen dedit Midian, unde oriundus erat Jethro Zipporæ Pater, nec nos quicquam movet, quod verlu 21. cap. 17. dicat Dominus, se cum Isaaco stabiliturum fœdus, id enim de multiplicatione feminis, atque Messia ex ejus semine oriundo intelligendum esse, ex connexionione textus & locis parallelis patet. Quamquam vero non multo post Abrahami ætatem, in superstitionem & idololatriam versi posterii Abrahami, verum DEUM ejusque cultum reliquerint, his tamen adhuc temporibus verum DEI cultum apud Medianitas conservatū fuisse, indicat 2. Cap. 18 Exodi, quod Caput de visitatione Jethro.

thronis, qua Mosen cum uxore & filiis adiit, agit: Ibi enim vocatur קהן sacerdos, quæ vox quamquam nonnunquam Regem vel principem designet, nihil tamen hic obstat, quin communem notionem, sacerdotis nempe, heic retineamus, quam enim non conveniat filia Regiæ oves pascere, & cum pastoribus reliquis de ovium aquatione litigare, cui non modo Pastores sed & omnes subditi esse deberent, quæ omnia Zippora cum suis sororibus legitur fecisse, cuique est in propatulo; nec Rex ob beneficium tam vile, admissionem nempe ovium ad aquam, filiam suam homini ignoto credidisset. Idololatram vero fuisse quis affirmare audebit, qui ad confessionem ejus liberam, peracta, præsentem & permittente Mose, sacrificia, concursum circa eadem peragenda Primatum, divinum ejus, de Principibus eligendis, consilium, animo à præconcepta opinione libero, attendat, & quod me non parum movet, Moses profecto, qui quæcunque egit divino egit consilio, hanc uxorem nequaquam

du

duxisset, nisi in commune secum fœdus
receptam, quod per masculorum cir-
cumcisionem optime fieri poterat. De
verbis Zipporæ quo sensu sint accipien-
da infra videbimus. Conf. interea Calov.
Bibl. Illustr. in cap. 18 Exodi. Argumenta
Calvinianorum, qua Zipporam â pera-
genda circumcissione excludunt, ne fœ-
minas in casu necessitatis ad baptismum
administrandum admittant, brevitati
quantum potest studentes, consultò o-
mittimus, & Theologis relinquimus.

§. IV.

Quodnam priscis Judæis in circumci-
sione peragenda fuerit instrumentū,
cum ex scriptura haberi non possit, de
eo est quod inter Doctores tam Christia-
nos quam Judæos moveatur lis. Nam
nisi in hoc nostro loco & alio Jos. V. 2. ne
vestigium quidem reperies, vel in prima
hujus Sacramenti institutione vel ejus-
dem repetitione, ex quo tuto de
hoc instrumento quid colligere possis.
Nominata modo dicta loquuntur

de צר & חרבת צורב Petra & gladius
 petrinis, ex quibus veterum nonnulli col-
 ligere voluerunt, in circumcissione non
 nisi lapideos cultros adhibitos fuisse.
 Sunt tamen alii, quibus hoc absurdum
 videtur, qui pro ferreo pugnant instru-
 mento, explicantes hæc duo loca meto-
 nymicè, ita ut culter lapideus fit quasi in-
 cote vel lapide acutus; assumunt sibi in
 subsidium Judæorum hodiernorum mo-
 rem, & traditiones, ita sonantes: *Præce-
 ptum est ut circumcidatur ferro, sive culter sive
 sive novacula.* Media via si ingrediamur
 tutius fortassis ibimus, indifferentiam
 hac in re asserturi. Nam qui pro filice
 pugnant, ex his duobus locis id quod
 volunt evincere nequeunt. Quamquam
 enim concedamus in hisce locis, ejus-
 modi instrumenta filicea locum habere
 omnino debere, ex inde tamen ruto non
 concluditur, semper horum cultrorum
usum viguisse, adeò ut eorum usus fue-
 rit ad constitutionem Sacramenti abso-
 lutè necessarius. Præterquã enim quod
 in neutra institutione instrumentũ cer-
 tum

sum exprimat, etiam de eo tacet descriptio circumcissionis sacratissimi infantis JESU, cujus profecto ad exprimendam actus perfectionem, mentio facta fuisset, si necessitate absoluta ad hunc actum tales requirerentur cultri. Adde, quod Judæi recentiores circa hoc minutissimum, essent, pro more, superstitione magis quam religione tenaces, si illi necessitas inesset. Absurditatem quam vitat opposita huic sententia, non videri scilicet possibile saxa adeo acuta reddi posse, ut sine periculo, circumcisio, actus alioquin doloribus exquisitissimis obnoxius vis peragi possit, destruit usus eorum in Hispania circa alia peragenda, quæ nobis non nisi cultro vel alio ferro acuto peragi possunt, de quo testis est Schindlerus ad vocem *⚔* in Lex. ejus verba, referente Quenstedio in Antiq. Biblicis, ita habent: *Sicut in Hispania ferro carent, & pro hoc utuntur cote acuta. Et Lerijs testatur, Brasilienses nonnullos in fabricandis arcibus & clavibus, lapidibus usos fuisse. Metonymiam tam longe peritam hoc loco citare*

necessitatem admittere non consultum
 ducimus, præsertim cum extra pericu-
 lum obscuritatis admitti possit proprius
 sensus literæ, adeoque hæc in re conve-
 niant hæc duo loca, ut eadem, remota
 præconcepta opinione, inspicienti non
 difficile sit iudicatu, proprium sensum
 retinendum omnino esse. Judæis vero
 cum major copia cultrorum ferreorum
 quam lapideorum, sit, eorum regula hi-
 loci canonem agere non potest, si veri-
 cuiquam ad eorum auctoritatem placue-
 rit provocare, attendat, non ita strictè
 injunctum esse instrumentum ferreum
 ut planè excludatur saxæum, sic eni-
 Schulchan Aruch part. II. Sect. 264. Sub
 sect. 2. *Quacunque re circumcidunt etiam
 lapide* (Buxtorfius lignum addidit) *Et vi-
 tro, atque adeo quacunque re secante, exci-
 pto latere arundinis.* Causam vero, cur ho-
 ultimum instrumentum ab actu circum-
 cisionis excluderint, nullam aliam videri
 quam periculum, ne quid ex festucis a-
 rundinis in vulnere remaneat, quod do-
 lorem augeat, illud vel inde liquet, quod
 anti

ante octavum diem natos infantes, hujusmodi instrumento, cum nocere amplius non posset, circumcidere soleant, ut habent eorum constitutiones ex libro Aruch part. II. Sect. 263. subf. 5. Monet vero locus Jos. V. 2. quo loco præceptum Domini ad Josuam, de fabricandis cultris lapideis, continetur, diu post hæc tempora his iisdem cultris usos fuisse illos, quibus horum copia erat; nam statim post hunc actum abjectos, aut in profanum usum adhibitos fuisse non fit verisimile, quod tamen ita ex conjectura asserimus, ut indifferentiam in hoc negotio omnino retineamus, statuentes, utroque instrumento licite usos fuisse, eos præsertim, quibus procul à Hierosolymis & templo (ubi procul dubio reservabantur) degentibus, horum cultrorum copia non erat, cum nec tantum eorum fuisse numerum, asserere audeamus, ut toti genti Israëliticæ in hunc usum sufficeret. Sed frustra diutius his immoramur, sufficit Zipporam hoc loco usam instrumento lapideo.

Ceterum arduus & in plures partes
 verlatus locus, reddit decisionem sub-
 jecti hujus circumcisionis difficiliorem,
 quam ut promittere queam, me huic e-
 nodandæ parem fore. Cum enim in tex-
 tu filii tantum fiat mentio, Mofi autem
 duos fuisse Filios Scriptura asserat, hinc
 nonnullis placet, singularem, hoc loco u-
 sitatum numerum, per enallagen singu-
 laris pro plurali exponere de ambobus
 filiis, moti tum falsa opinione, Zipporæ
 familiam universam fuisse Ethnicæ su-
 perstitioni addictam, adeoque Mofi non
 fuisse liberum præceptum Divinum hac
 in re exsequi, tum eo, quod circumci-
 sionum in plurali inferius fiat mentio.
 Alii minorem natu, ut nondum natum
 excludunt ex hoc actu, utpote cujus
 Scriptura antea non meminit. Veritati
 tamen magis convenire videtur, quam
 & nos amplectimur tertia, si duabus hi-
 sce diversa, sententia, quæ excluso Ger-
 sone, ut antea jam circumciso, minores
 Elea

Eleazarem hujus circumcisionis subje-
ctum fuisse, affirmat. Nam si priores
examinemus, una earum nititur falso fun-
damento, Zipporæ enim familiam, veri
DEI cultui addictam fuisse superius § 3.
hujus membri evictum credimus. Tum
si vel maximè concederemus Ethnicos
fuisse Zipporæ Parentes, Mosen tamen
ob amicitiam humanam fœdus divinum
omisisse, incredibile est. *Sic enim Paulo*
multo fuisset deterior, qui Gal. I. 10. de se ait:
εἰ γὰρ ἐπὶ ἀνθρώποις ἤρεσκον, χεῖρ δὲ δούλου
ἔκ ἀν' ἡμῶν. *Terferus in b. l. De plurali vo-*
cis Circumcisionum Conf. Calov. in h. l. &
D. Noldii Concord. Partic. Annot. & Vin-
dic. n. 62. p. 785. Altera, salvo dissenti-
entium honore, apertè fallit, nisi enim
v. 20. Cap. 4. Exodi per Enallagen plura-
lis pro singulari velis exponere, quod ut
fiat nulla cogit necessitas, apertè eo loco
plurium fit mentio filiorum, Scriptura
autem alios præter duos ignorat, quo-
rum minor hujus circumcisionis subje-
ctum verum fuit. *Causa vero dilatæ cir-*
cumcisionis (ut taceamus Cajetani vani-

tatem, afferentis, Zipporam gentilem alterum filiorum retinere voluisse in ritu gentilitatis suæ, quam satis refellit actus circumcisionis propria Zipporæ manu peractus) quanquam taceat textus, videtur tamen fuisse præparatio ad iter, & ejusdem deinceps continuatio, quam quidem causam moræ in Israëlitis per quadraginta annos in deserto commorantibus tulit DEUS, *in Mose tamen ut futuro νομοθέτῃ ferre non potuit*, Calovius. Cur autem ex hoc actu Gersonem, ut antea circumcisum excludamus, præterquam quod unius tantum filii in textu fiat mentio, inter alia nos movet ὀνομαθεσία, quam quidem adjunctum fuisse circumcisionis antiquissima consuetudine receptum, affirmamus, perpetuum fuisse asserere non audemus, quamquam enim in institutione Sacramenti nihil de hac invenitur, ex Cap. tamen XXI. 3. Geneseos haud absurde concluderis, Abrahamum filio suo Isaco, in ipsa circumcisione, nomen quod ante nativitatem à Domino acceperat, im-

posuisse; ex Baptistæ v. exemplo & sanctissimi Salvatoris evidentissime patet, eos in ipso actu circumcisionis, sua accepisse nomina; Quenstedt. Hoc evictō, Gersonem ab hac circumcisione omnino excludimus, idque ex Exod: 2. 22. Ubi præter nativitatem Gersonis, nomen quoque subjungitur, in ipsa circumcisione, per rationes adductas, ipsi inditum, unde male connexioni historię confulere videntur, qui v. 4. Cap. 18. Exodi huc transcribunt.

§. VI.

IN exponenda phrasi ותגע לרגליו, & tetigit, vel rectius tangere fecit pedes ejus, multum discrepant illi, qui hujus loci expositioni operam dederant. Alii enim hæc verba ad Zipporam referunt, quasi Zippora sese admoverit ad pedes Angeli pœnam Mosi infligentis, apud eundem peracta circumcisione pro Mose intercessura. Sed præterquam quod hæc sententia falsa nitatur hypothesis, ab Angelo sc. non à Jehovah ipso Mosen puni-

tum fuisse, est etiam Scripturæ adversa
 quæ cultum hujusmodi religiolum An-
 gelo creato derogat. Errant minus, qui
 hæc verba referunt ad puerum, sed non
 illi inter se conveniunt. Cum enim in
 præcedentibus circumcisionis per fili-
 cem meminerit Sp. DEI, hinc filicem ad
 pedes, id est, genitalia pueri admotum
 autumant nonnulli, quod absurdum &
 textui adversum esse quis non videt, quod
 ad verba præcedentia paulum attendi-
 hac enim ratione prius præputium at-
 putasset Zippora, quam instrumentum
 filicem genitalibus pueri admovisse.
 Differunt ab his, qui pedes pueri cruore
 ex vulnere circumcisionis tactos minus
 commode volunt. Nobis ea sententia
 videtur eligenda, quæ ad Mosen hæc
 verba refert, quod textui maxime con-
 veniat, nec ullam vim inferat; ad pue-
 rum enim per cohærentiam textus hæc
 verba referre non possis, nisi puerum
 quoque pœnæ subiectum dicas, quod u-
 scripturæ adversum refutavimus Mem-
 superiori. Alias affixum ꝑ referendum

venit ad eam personam, cujus in præcedentibus sæpissimè fit mentio, Moſen puta, ad cujus pedes præputium reje-ctum dicitur. Finem præſertim hujus actionis reſpicientibus facile erit judica-tu, nemini præter Moſen hæc attribui poſſe, videtur enim hæc rejectio, ad Moſis liberationem maturandam facta fuiſſe, ut ex eventu, diſceſſu nempe Do-mini a Moſe, patet, quo ſcilicet indica-ret Zippora, circumciſionem jam, quod ex amputato præputio & abjecto conſpici potuit, perfectam fuiſſe & abſolu-tam.

§. VII.

Quod viatori in via ſibi non ſatis co-gnita, cum ad bivium acceſſerit, dubium ſolet ſuboriri, idem mihi in eno-datione phraſeos כַּחַתְּרֵי דְמַיִם *(ſponſus an-guinum)* eveniſſe fateor, tot enim, diver-ſos in hunc locum commentarios inſpi-cienti, occurrunt ſententiarum divortia, quæ animum meum, hiſce non adſuetum, in diverſa trahunt, adeo quidem, ut nec
de

de animo Zipporæ hæc verba proferentis, nec de subiecto, aut vero verborum sensu, inter illos conveniat. Iratæ Zipporæ hæc tribuunt nonnulli, atque ad hoc ritu abhorrenti, indignanti sc. morti vitam, dolorosa effusione sanguinis in tenerrimo filio exercenda, redimendam esse. Ast qui in textu observaverunt propriis Zipporæ manibus peractum & administratum Sacramentum DEO ad placuisse, ut Mosen pœna intentata liberaverit, simulque attenderit, spontaneè non coactum cultum requirere sanctissimum Numen, facile mecum affirmabit, ab irato animo exclamationem hanc gratulatoriam proficisci non potuisse. In exponendo subiecto, cui & de quo hæc verba dicantur, duo occurrunt opinionum divortia: pro puero alii, nonnulli pro Mose pugnant. Qui puero hæc verba dicta volunt, hanc phrasin a iure receptam fuisse circumcisionis concludendæ formulam, quod ex Aben Elrabi hoc asserente probare conantur, mox ad hoc verbis in textu sequentibus, quibus

causa horum verborum indicatur, ubi Zippora hæc ob circumcisionem protulisse dicitur. Hæc tamen rationes tantæ non sunt, ut â contraria sententia, quæ ad Mosen hæc verba refert nos queant deterrere, ad quam recipiendam, non modo Clarissimorum Doëtorum, id assentium, turba, sed & ipse textus, perpetuo vinculo instar catenæ cohærens, suadet. Hæc enim verba ad aliam personam referri non possunt, quam Mosen, de quo textus perpetuo, ut antea vidimus, loquitur. Quod adversa attinet argumenta, primum deductum ab auctoritate Aben Esræ, nos nihil movet, retellitur enim auctoritate R. Davidis Kimchi, qui hoc ex conjectura solum dici asserit. (quamquam non ignoremus, D. Noldium in notis & vindiciis ad concordantias particularum hanc auctoritatem nonnihil infringere, Kimchium *ερεβλότη* & atque inconstantia arguendo, probatur tamen ab aliis, ut Pocockio notis miscellaneis in Portam Mosis. D. Calovio com. in h. l. & aliis) Verba in

textu expressa quæ pro adversa sententia producuntur, nihil probant, æque enim ea de Mose ac de puero prædicari possunt. Si enim ex Memb. 1. § 3. & 4. repetamus harum vocum significatio- nes, si sponsi notionem in voce יתן amplectimur, sensus erit, quod Zippora Mose jam à pœna liberato, quasi nuper filii sanguine redempto sponso gratulata sit, hoc sensu: *quasi de novitate in sponsum mihi redemi circumcissione & sanguine filii carissimi, adeoque tu verè es mihi, sponsus sanguinum, i. e. sanguine redemptus*; quæ expositio Calovio præ aliis placet. Confirmatur hæc sententia, ex antiquorum ritu conjuges sibi certo pretio redimendi; Exemplo Jacobi, uxores suas lervitio quatuordecim annorum merentis, Gen: 29. & Davidis, conciliantis sibi Saulis filiam Michol, præputiis centum Philistæorum 1 Sam: 18. Nec enim eam hic admittimus expositionem, qua Moses diceretur, *sponsus sanguinum, id est sanguinarius*, quacunque demum ratione eam defendere conentur sui auctores, vel

quod

quod Zippora sibi ex hoc actu conjugium minus faustum promiserit, vel quod hac formula dimissionem petierit, hæc enim omnia, irati animi indicia essent certissima, quæ à Zippora ut antea ostendimus, erant aliena.

§. VIII.

Unde nec Grotii explicationem probare possumus, qua per phrasin *וַיֵּרָד מִמֶּנּוּ* & discessit ab illo, divortium Zipporæ, à marito, significari vult. Nam præter rationes supra adductas, in Hebræo tam verbum quam affixum est masculinum, & quamquam non insolens sit prædicatio in masculino genere, de fœminis masculis, & iis, quæ virtute aliqua, extra communem fœminarum sortem sese elevarunt, ut Exod. 1. 21. de obstetricibus affixum in masculino genere adhibetur, ea tamen hic, utpote in fœmina hac ratione vituperanda magis quam laudanda, locum habere nequit. Historia de visitatione Jethronis & reditu Zipporæ, quæ habetur Exodi 18. aliud innuit, præterquam enim, quod in illo loco, nullius

diffensionis fiat mentio, Moles v. 2. Uxo-
rem suam dicitur prius remisisse. Scili-
cet, cum videret impedimento potius
quam emolumento fore sibi in hoc iti-
nere, uxorem, eam ad Patrios remisit la-
res, hæc v. cum audisset, Mosen cum
Populo Israëlitico jam in totum à jugo
Ægyptiacæ servitutis liberato, hæsurum
aliquandiu circa eum, in quo tunc com-
morabatur, locum, Patrem comitata
adiit, quæ omnia caritatis non disen-
sionis indicia sunt infallibilia. His ita ex-
positis, hic manum, quod ajunt, de tabu-
la, & subsistimus. Si quæ B. L. in hoc
opusculo immaturo, minus commode
dicta cernas, ea humanitatis pallio tege-
re, meque admonere te decebit. Hæc
interim quamvis tanta materia mi-
nus digna æqui bonique con-
sulas. Jam

SIT IN EXCELSIS GLORIA
SUMMA DEO.

